

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Auff Ihrer Königl. Majest. zu Dennemarck Norwegen,
e[t]c. e[t]c. Allergnädigsten Specialen Befehl, Revidirte
Oldenburgische Stadt-Schul Ordnung**

Adler, Jacob Nicolaus

Oldeoburg, 1703

VD18 13393405

Classis I. De Studio Pietatis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17761



Legum Lycei Oldenburgensis
Generalium,
CLASSIS I.
De
Studio Pietatis.

§. I.



Mnes & singuli ad nostrum hoc Oldenburgense Athenæum discendi ergo venientes, DEUM in essentia unum, in Personis Trinum, Secundum Pandectas per Prophetas & Apostolos, Spiritus Sancti Amanuenses consignatas agnoscunt, colunt, amant.

§. II. Qui DEUM dicto modo cognoscit, cognitionem hanc publicitus in vita sua exprimat; Hoc est: *Ευσεβειαν φυλάσσει*, Vivat pius. Nam pietas fundamentum est omnium virtutum; Nec ulla vis major, Pietate vera est.

§. III. A Blasphemiis, imprecationibus, futilibus dejerandi formulis, ut puta per Sanctissimum Salvatoris nomen,

nomen, vulnera, Sanguinem, mortem, dignaque veneratione Sacramenta; Imo quolibet alio juramento, omni tempore loco & occasione abstinento.

§. IV. Invocatio Numinis & Nominis divini, studia literarum, cibum, somnumque præcedito & claudito. Nec mane studiis accinguntor, nec vesperi in dulcem declinanto lumina somnum, nisi lecto è Bibliis sacris capite uno alterovè; Nam ante omnia orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

§. V. Dominicis, festis, aliisque sacrorum studio destinatis Diebus & Horis, publico campanæ signo audito, Templum Jehovæ sacrum Discipuli omnes mature satis frequentanto, locumque Scholastico ordini destinatum modeste occupanto, nec eum mutanto, hymnos, cantionesque sacras sine garritu & susurro, sonoraque voce ex libris cantionum Ecclesiasticarum cantanto. Dum organa Pneumatica pulsantur, vel Biblia sacra aliumve Theologicum libellum, Novum Testamentum græcum, aut meditationes B. Johannis Gerhardi evoluunto & legunto.

§. VI. Ad Evangelici aut Epistolaris aut cujuslibet alius textus sacri prælectionem decenter & absque tumultu surgunto.

§. VII. Conciones quando ab Ecclesiæ ministris habentur, attente audiunto. Superiores integram concionum Dispositionem calamo excipiunto: Inferiores vero potiora tantum Scripturæ dicta adnotanto.

§. IIX. Inter canendum aut concionandum ad nominis Jesu recitationem caput aut inclinanto aut nudanto;
E
finitis



finitis concionibus preces, intercessionem & gratiarum actiones publicas devote comprecantur.

§. IX. Omnia hæc sine confabulationibus, ineptiis, risu, strepitu, motu corporis indecente, ceu fas est in conspectu Dei, sanctorum Angelorum & cœtus sacri peragunt: Atque usque dum Sacri Epuli distributio peracta, hymnique suum prorsus sunt sortiti finem morantur, inque loco suo manent; Honestè denique & ordine decoro è choro decedunt; Secus qui fecerint gravem debitamque pœnam expectant.

§. X. Discipuli omnes & singuli finita concione pomeridiana in Scholam reversi, Præceptori eorum Classi præfixo, cum primis vero Rectori Scholam perlustranti, annotatas dispositiones & dicta exhibent & prælegunt ad usum denique in vita conferunt.

§. XI. Ter vel quater saltem nisi conscientia pluries suadeat quotannis ad unum omnes, qui Christianæ Religionis capita intelligunt, seque probare possunt, peccata sua (præmissa apud Præceptorem Classicum sibi præfixum, delictorum deprecatione promissoque novæ obedientiæ studio) ordinario Ecclesiæ Ministro confitentur, sacraque Cœna piè utuntur.

§. XII. Paucis: quilibet Discipulorum omnia Decalogi præcepta tanquam vivendi normam sibi sedulo ob oculos ponito, & juxta præscriptum Paulinum omni abnegata impietate vivito pius erga Deum, castus erga seipsum, justus erga proximum.

CLASSIS



CLASSIS II.

De Studio Morum.

§. I.

Studiorum ergo ad nos accedentes apud Rectorem nomen suum profitentor, ab eodem examinantor, introducuntor.

§. II. Sicuti autem nemini fas esto Scholam in scio invitoque Rectore ingredi: Ita nec ipso clam aliisque Præceptoribus non compellatis tanquam ingrati hospites sine debita gratiarum actione pro fideli institutionis labore, ex hoc nostro Lyceo discedunto.

§. III. Non tantum Rectori, sed & cæteris Collegis singulis quilibet Discipulus pietatem, obedientiam, modestiam, honorem, animique grati studium promittito, animo etiam, gestibus, dictis & factis re ipsa exhibeto.

§. IV. Et dicto modo venerantor suos Præceptores non tum cum humaniter tractantur, sed & quoties justis de causis corripuntur.

§. V. Nullas omnino querelas, multo minus falsas, ad quenquam nisi ad Rectorem & Præceptores deferuntor, nihilque eorum, quæ in Scholastica Disciplina & castigationibus fiunt, temere divulgantor, nisi excessus

